



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm XIV. Si à subdelegato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

possit, arbitror, quod delegatus quilibet, spectata qualitate causæ, alijsque circumstantiis, ad alium locum partes citare non prohibeatur. Cum enim hoc casu eadem ratio necessitatis, & cuiusdam æquitatis, militet in delegato Episcopi v. g. quæ in delegato Papæ, idem ius censei debet.

## CAPITVLVM XIV.

## Si à subdelegato.

## PARAPHRASIS.

Papa Titio causam delegat: is subdelegat Caiō referuatā sibi sententiā, vel executione: Cum autem Caius partem citasset, ea exceptionem proposuit, quod non teneatur coram ipso respondere; eod quod Papa delegans mortuus fuerit, antequam causa vel à delegato, vel subdelegato cœpta esset. Sed Caius reiecta exceptione, procedere volebat: Tum pars ad appellationem confugit. Quæritur ergo, ad quem appellare debeat. Respondet Bonifac. VIII. Quod ad primum delegantem: Si enim pars litigans appellaret ad delegatum, esset contraria sibi ipsi, quia appellando fateretur delegatum iurisdictione præditum esse, quod tamen antea excipiendo contra eundem negarat. Quare idem quoque dicendum in alijs omnibus casibus, quibus delegatus negatur iurisdictionem habere, quod non ad ipsum, sed ad primum delegantem appellari debeat.

## SUMMARIUM.

*Si Reo negante iurisdictionem delegati, subdelegatus pro delegato pronunciet, appellandum est ad primum delegantem.*

**NOTANDVM I.** Etiam ipse Iudex subdelegatus, si negetur ipsi iurisdictione, de hac causa cognoscere potest: præterquam si ut suspectus recusetur, sicuti dixi in c. si contra, 4. hoc lib. & tit.

**NOTANDVM II.** Tametsi ordinariè appellatio à subdelegato fiat ad subdelegatam,

si quippiam de iurisdictione sibi referuatam, c. super quæstionum, 27. §. porro, extrà, eod. & c. si delegatus, 7. hoc lib. & tit. excipi tamen debet, si Reo inficiante iurisdictionem delegati, subdelegatus pro delegato pronunciet, tum si à sententia ista appelletur, ad primum delegantem appellandum erit. Porro causas, ob quas iurisdictione delegato negari potest, recenset Gl. hic, ver. in alijs casibus, Videt. si dicatur subdelegatum tempore rescripti excommunicatum, aut aliàs subdelegationis incapacem; aut commissionem ab eo reuocatum, &c.

Quærit hinc Gl. ver. processum: Si postquam delegatus causam subdelegauit, moriatur primus delegans ante partium citationem, num perpetuata sit iurisdictione, an extincta. Et ipsa respondet; Perpetuatam esse: Cum enim subdelegare iurisdictionis actus sit, sequitur causam non esse integram, sed cœptam. Sed contrarium est verum, quod docui in c. licet, 30. extrà, hoc tit. & satis colligitur ex textu, ver. antequam in aliquo processum.

## CAPITVLVM VLT.

## Hac constitutione.

## PARAPHRASIS.

Statuit Bonifac. VIII. vt Conseruatores, quæ à Sede Apostolica concedi solent, vt ab iniurijs ac violentijs manifestis tueantur, deputari non possint, nisi Episcopi, aut Superiores eorum, vel Abbates, vel qui dignitatem, seu personatum in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata obtinent. Neque conseruatorem aliquis habere possit eum, cui ipsemet Conseruator datus fuit. Sed neque aliquis conseruatorem habeat, qui sub ipsius iurisdictione, dominio, vel districtu Ecclesiastico, aut temporali existit: Excipiuntur tamen Reges, ac Regnantes, si ipsis Conseruator datus sit, qui in temporalibus subiectus.

## SUMMARIUM.

1. Conseruator iudex delegatus est, differt tamen in aliquibus ab alijs delegatis.
2. Relic.